



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XXXIII. Tres pueri Babylonis in fornace ignis ardentissimi
virtutem sanctæ crucis agnoverunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO XXXIII.

Tres Pueri Babylonici in fornace ignis
ardentis virtutem S. Crucis agnoverunt.

*Video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio
ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quar-
ti similis Filio Dei. Dan. 3. 92.*

I.

NAbuchodonosor Babylonix Rex, ut omnibus populis ac na-
tionibus suæ ditioni subiectis suam ostentaret potentiam ac
majestatem, statuam pergrandem ex auro purissimo erigi ius-
sit, severè & sub pœna ignis præcipiens, ut in hac statua, ve-
lut DEUS, à cunctis subditis demissè adoraretur. Huic im-
pio mandato sese quamprimis opposuerunt Tres Pueri Babylonici.
Sidrach, Misach & Abdenago, & quia Regis imperata facere recusa-
bant, sine mora in ardentem fornacem missi sunt, in qua ab Angelo,
qui in forma Filii Dei eis apparuit, illæsi fuerunt conservati: *Ecce ego, Dan. 3. 92.*
clamabat Rex, visione insolitâ & stupore attonitus, *video quatuor viros
solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species
quarti similis Filio Dei.*

Quæres hic, Lector prudens! quisnam ille Filius Dei fuerit, qui
in medio ignis ardentis hos Pucros servavit incolumes, ac lenissimum
toris ventum illis subministravit, ut tanquam novæ Salamandræ
etiam in mediis incendiis tripudiarent: *Et ambulabant in medio flamma
laudantes Deum, & benedicentes Domino.*

Per hunc Filium Dei, qui de cœlo descendit, & excussit flammam Cornel. hic,
ignis, S. Hieronymus, Augustinus, Justinus, Hilarius & alii antiquis-
simorum Patrum non quemdam Angelum, sed ipsum verum Dei Fi-
lium, Christum JESUM, Crucifixum Salvatorem nostrum subaudi-
unt, qui, licet tunc temporis nondum fuerit incarnatus, in hac tamen
forma humana, tanquam Salvator mundi apparere dignatus est, *ut sic,*
ait

Q²

ait Cornelius à Lapide, se quodammodo ad futurum Redemptoris officium exerceret. Sic fuit apud Moyſen in medijs ſpinis; ſic apud Joſeph in cifterna

Sap. 10. 13.

S. Andr. Ep.

Cretenſ. orat.

2. de Exalt. S.

Crucia

Exod. 17. 11.

& carcere: *Descendit cum illo in ſoveam, & in vinculis non dereliquit illum.*
 2. Obſervat hic pereleganter ad noſtrum intentum Sanctus Andreas Episcopus Cretenſis, quod prænominati Tres Sancti adoleſcentes Babylonici in medio ignis ardentis manus & brachia in oratione ſua in modum crucis extenderint, & ad Deum elevaverint: *Quemadmodum quondam Moyſes, cum Joſue contra Amalec pugnavit, per modum crucis brachia expandit, & ita in virtute S. Crucis inſignem illam victoriam obtinuit: Intulerunt, ait hic S. Episcopus Cretenſis, olim manus in altum Azarias & ſocii in Babylonica fornacis igne precantes, & elatam in altum ipſius flammam extinxerunt, manuum extensione crucem exaltatam adumbrantes.* O ſtupendam SS. Crucis virtutem etiam jam tunc in umbra!

Luc. 12. 49.

3. Ad majora tranſeamus. Venit Filius hominis in mundum quærere & ſalvum facere quod perierat. Audiamus ipſum loquentem: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? Quæres, qualis hic ignis, quem Chriſtus tantoperè petiit, ut in nobis accendatur?*

S. Gregor.

hom. 30. in

Evang.

Eccleſia in

Sabb. Pentec.

Vinc. Caraffa

in Falſiculo

Myrrha l. 2

Conſ. 21.

R. S. Gregorius: hic ignis Spiritus ſanctus eſt, & illius dona præfertim charitatis, devotionis, fervoris & zeli, quæ ipſe in cordibus fidelium excitare ſolet, de quo S. Mater Eccleſia: *Illo nos igne, quaſumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noſter Jeſus Chriſtus miſit in terram, & voluit vehementer accendi.* Hic autem ignis divinus potiffimum accenditur, ait V. Vincentius Caraffa Societatis JESU digniffimus quondam Præpoſitus Generalis, ex contemplatione SS. Vulnerum Chriſti JESU crucifixi: *Venit, inquit, Dominus ad accendendum, & inflammandum mundum igne divini amoris; & hic ignis prodiit ex quinque fornicibus accenſis, quæ ſunt divina Vulnera. Qui vultis ab hoc igne accendi, accedite ad divina Vulnera, & inflammamini.*

Dan. 3. 48.

4. Tribus prædictis Pueris luxit ille ignis, non uſſit, & ubi parabantur ſupplicia, inveniebant refrigeria, unde uno ore benedicebant Dominum dicentes: *Conſitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus: Quia eruit nos de inferno, & ſalvos fecit nos de manu mortis, & liberavit nos de medio ignis.* Econtra Chaldaeos, qui circumſterant fornacem ardentem, combuſſit & conſumpſit: *Eruptit ignis, & incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldaeis.* O felices juvenes in hac fornace Babylonica incluſi! Felices & illi, qui habitant in ſpirituali fornace ſacratiffimi lateris Chriſti & SS. Vulnerum ejus; infeliciffimi illi, qui ingredi nolunt, quia foris nulla ſalus, ſicuti extra arcam Noëmi-

Noëmicam, qui in illa non erat, in diluvio periit, & nulla salus illi respanduit. Sic extra JESUM crucifixum nulla salus.

Refert idem V. Vincentius Caraffa, quòd Christus Dominus Idem loc. cit. Viro cuidam eximie sanctitatis, cum enixe precaretur DEUM pro efficaci remedio ad hunc divinum ignem impetrandum, responderit, ut se in contemplatione SS. Vulturni exerceret: *Exerce te in humanitate mea passionata, vulnerata, nam in ea maxime lucet mea charitas non aliter, quam sol in suo splendore, rosa rutilans in suo odore, ignis vehemens in suo fragranti astu & ardore.* Habes hic modum, imitare, si vis animam tuam servare.

5. Transseamus ad exempla Amatorum crucifixi JESU in fornace ignis probatorum. S. Ephysius instar Sauli, ubi clara die in celo crucem splendidam vidit, mirabiliter ad Christum crucifixum conversus est, ex cujus ore hanc vocem audivit: *Ab hac hora vas dilectionis eris.* Cum in ardentem fornacem propter fidem Christi à Gentilibus projiceretur, virtute S. Crucis ex illo igne illæsus evasit, combustis crudelitatis ministris. Tandem capite plexus felicem animam expiravit.

S. Agnes Virgo nobilissima tredecim annos nata Symphronium sponsum recusans, Christum & hunc crucifixum sibi in Sponsum sanguinum elegit, quem vitæ authorem tenerrimo dilexit amore; in ignem exinde coniecta, stans in medio flammarum expansis in modum crucis brachiis ita ad DEUM oravit: *Omnipotens, adorande, colende, & tremende, benedico te, quia per Filium tuum unigenitum evasisti minas hominum, Vita, & spurcitas diaboli impolluto calle transivi. Te confiteor labiis, te corde, te toris visceribus concupisco.* Et cum flammæ eam non audebant attingere, ad carnificem dixit: *Quid moraris? pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo.* Stetit, oravit, cervicem inflexit, & ita una hostia duplex martyrium subiit, pudoris & religionis.

6. S. Glyceria Romani Consulis filia Christianos vehementer horrida est, ut in fide Christi crucifixi in omni persecutione constanter permanerent, ad quos dicebat: *Videte, & vobis cavete, ac diligenter advertite, qualis est Imperator ille, cujus characterem habemus, & quali formâ in fronte (hoc est signo S. Crucis) signati sumus, qualis denique monet inscriptionem accepimus. Demus operam, ut characterem illum ab omni labe purum sustodiamus.* Dum Gentiles cum candelis & lampadibus ad idolorum sacrificia properarent, & ipsa interrogaretur, ubi lampadem suam haberet? Crucem fronti suæ inscriptam palam ostendit, ac Christianam se per hoc salutis signum professam esse; quam ob causam certatim lapidibus impetita fuit, qui ipsam non tangebant, sed instar coronæ in aëre coronabant; proinde è capillis in trabe, velut in cruce suspensa, &

Nadal. 17. Maij. & Martyrol. Rom. 3. Jesus dom.

Q3

angu-

ungulis ferreis lacerata, ac demum in ardentem fornacem injecta est, cujus tamen flammæ illi non poterant nocere, qui Angelus Domini, ut olim in fornace Babylonica, eas excussit, & extinxit. Demùm cœlesti voce ad cœlum vocata, uno leonis morsu, cæteris illi parcentibus, sanctissimè obiit, & in cœlum migravit. Cæterùm passa est hæc B. Virgo & Martyr sub Antonio Imperatore & Sabino Præside. Percelebre fuit Heracliaë templum S. Glyceriæ, ubi sacrum ejus corpus positum, pluribus illustratum est miraculis, ex cujus ossibus jugiter salutaris liquor medendi & curandi hominum infirmitates emanat; prout auctor est Nicephorus Hist. l. 18. c. 28. & 32.

Sap. 3. 6.

7. Vide ex his, anime mi, quàm ardenti zelo primî Christiani Christum JESUM & hunc crucifixum amabant, dum pro illius honore & amore non tantùm se offerebant tormentis, sed & illa ambiabant, ac majora exposcebant. Prout fecit S. Laurentius & alii, in quibus verificatum fuit illud Sapientis: *Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Sicut enim aurum in fornace expurgatur à scoria, resplendèturque fulgidiùs; ita DEUS & Horno Christus crucifixus justos, quos invenit dignos se, per tribulationes & martyria à fæce venialium purgat, & fortiores reddit ac clariores; prout in enarratis patet exemplis.

Pl. 90. 15.

Quid igitur restat, nisi ut magnâ cum fiducia ad hunc gratiæ thronum, crucifixum Salvatorem nostrum accedamus, qui de se ipso ait: *Cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum & glorificabo eum?* Si ergo DEUS & Salvator noster nobiscum in omni tribulatione est, quis erit contra nos? Ecce ipse est, qui expansis brachiis, perforatis manibus & pedibus trunco affixis expectat te: quare ergo ad hunc optimum Patrem tu filius prodigus renuis venire? *Propterea, ait Isaias, expectat Dominus, ut misereatur vestri &c.* Et tu nondum vis?

Isa. 30. 18.



CON-